



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

59. Cocini Patru[m] labor, conuersio Regis Maldiuarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

pterea ad hoc induceret animum, res eodem quo prius loco pernicioso, & miserabili consistere.

Redeamus nunc ad feliciora, ut fuere Patrum Cocini labores. Illic Franciscus Henrichez, Baltazar Gagus, & Antonius Eredia, animorum magisterio insignes, inter alia iuvenes educabant centum quinquaginta quos ab Lusitanis Irdisque parentibus vtilitate legendi & scribendi capris, ad se pellexerant; docebant autem præ omnibus, veræ fidei rudimenta moresque Christianos, tam fausto disciplinæ successu, qui vel solus posset bonam vrbs partem facere meliorem: species virtutis in aratula innocenti, & libertas efficax arguendi quicquid peccaretur in legem diuinam, dici non potest, quantum traheret admirationis; ducebant suos parentes liberi ad sacrum Tribunal confessione expiandos; cogebant sub noctem familiam, ad pias preces concinendas; docebant mancipia quæ scire oportet Christianum; in schola discipuli, domi præceptores. Nec erant hi fructus aut probæ indolis, aut innatæ virtutis, aut paternæ ad pia rectaque educationis; ferè siquidem Barbaris, & ethnicis orti, cum vita & lacte, ex iis vitia luxerant, impudicitiam maximè, deique contemptum; iis ergo quod habebant boni, magistrorum assiduitas strenua, id omne Deo adiuuante insueuerat, cui profectò vicissim eximie pueri respondebant, iique inprimis qui norant se ritu sacrilego, cum nascerentur in hanc lucem fuisse Idolis consecratos; idolorum odio, & eius sceleris vindicta, penetrabant se clam in domos ethnicorum, suffurabantur eorum Pagodes, & omni contumelia deturpatos, conterebāt, fructis quæ Patri pro testimonio fidei afferrēt seruatis. Tædio fuerit multa similia scribere quæ ut aliis locis, ita Cocini à Patribus fructuosè sunt gesta. Sed Regis Maldiarum non est prætereunda conuersio, Antonij Eredia post Deum opus. Maldiarum autem si rectè Geographi notarunt, vndecim millia numerantur, angustæ sunt insulæ, multæ steriles & desertæ, omnes in Oceani tractu sitæ qui ab iis Maldiarum vocatur, in gradum productæ decimum supra centum, Æquinoctij linea diuiduntur, & à Phœnicia, siue Euronoto ad Caurum porriguntur, quodque maris interflui angustissimo iungantur potius, quam separentur ductu, solida oculis apparent insula. Regem vnum agnoscunt vniuersæ: Mahometem sectantur, mutatione pessima ex Idolis ad eum transgressæ annis ante triginta quàm ea quæ narro contingerent. Orto igitur bello Maldiuanos inter, & eorum Regem annorum viginti iuuenem, & coniuratorum tunc viribus imparem Cocinum confugit, vitæ saltem si regno non poterat consulurus, confusus nihilominus Lusitanorum armis se restituendum. Exceptus domi à Patribus, eorum partim euinentibus exemplis, partim Xaverij qui superuenerat allocutione, sed magis precibus à Deo flagitantis hanc sibi donari animam, quæ regnum integrum esset Ecclesiæ donatura, veritati denique acquieuit, & solenni ritu, ab eo lustratus est. Iamque Patres cum Rege, & Lusitanorum exercitu parabant conscendere, ut recuperatum ab eo regnum rudimento salutis imbuerent, sed heu!

quòd

59

Cocini Patris labor, conuersio Regis Maldiarum.

quòd ad rem Lusitanam minimum interesset, insulas tenues, & macras, auri & aromatum steriles habere tributarias; nunquam sat serio Gubernatores Indiæ animum adiecerunt, ad miserum Regem ope valida iuandum. Inter hæc nobilem duxit Lusitanam, & spe semper inani se sustinens recipiendi imperij, priuatus, & pauper Cocini consenuit, atque illic in acerbissimo dolore de morte filij in aula Hispaniæ pugionibus confossi vitam clausit.

60
Ora Piscariæ
eximia pietas

Nullus tota India colonis suis campus Piscaria ora feracior, quinque illam inter se Societatis Patres diuiserant, nec vnum sed multos singuli populos excolebant; quin & Antonius Criminalis vnus totam completi videbatur; percutabat enim illam perpetuò, vt qui nostris vice Xaverij præesset, & patrem agebat Christianorum omnium communem. Partes operum, quæ cuique obtigerant, alius quindecim, viginti alius, aut plures instituebat Pagos, & in iis ad Christianorum millia ducenta, eò enim iam fructus cumulabant sementem ab Apostolo Xauerio primum factam. Iis cum tota nostrorum contentio necessariam operam non posset sufficere, lecti sunt passim qui vicariam iis præberent manum ætate ad durandos sudores integra, diuinorum egregiè callentes; probatæ diu perspectæque virtutis, quos vbi res posceret (poscebat autem sæpissimè, vel ob incursiones Badagorum, vel ob Bracmanum insidias) promptos fore non dubitaretur, pro Christo sanguinem animosè pacisci. Quòd virtutis robur cum ægrè ad paucos pertineat, ex multis qui vltro huic se agoni deuouebant, designati sunt tantum decem. Hi fratrum saluti curandæ, sponte, nulla mercede, nisi æterna auctorati, adire Pagos, inspicere, quærere, scrutari quid probi, quid secus à Christianis moribus deuium, deque eo ad Patres referre. Sciscitari de Canacopolis, seu Cathedristis, quam diligenter munere fungerentur; & quòd ea in ora, vnde cumque id fiat, pars ferè media infantium moritur, Baptismo tingere, quos infirmiores reperissent. Ac fuisse quidem eiusmodi hos viros, ipsimet Patres aiunt, nihil vt ipsis de Societate præter vestis habitum deesset, sed desideria populi non ita explebant, vt nostrorum præsentiam optare, & postulare desineret. Quare ne aliqua inter se mutua pro nostris inuidiola scinderentur, suum pro numero communitati cuiuslibet præscriptum est, statutorum dierum ad confessiones tempus; quòd ei dum impendebatur, alij moram non ferentes, vrgebant per nuntios aduentum Patrum, piè queritantes, essentne pro spuris Ecclesiæ filiis negligendi, prætermittendi, & abigendi procul, dum Patrum labor sollicitus, ac præsens vbertim alios recrearet? Cùm verò Pater quod erat sortitus Commune adiret; occurrebatur illi magna festa que frequentia, & quamdiu illic moraretur, velut operum omnium, & negotiorum iudicio iustitio, vni animarum tractando negotio tempus omne dabatur; sed ita distributum, vt partem pueri, partem viri, partem mancipia sibi suam haberent; puellis similiter, coniugatis, ac viduis suæ ad animi procreationem concedebantur hora. Ad hæc iuuentutis educationi præstabatur sollicita